



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XXIX. Afferte Domino filij Dei, &c. Carm. gen. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

PSAL. XXIX. *Afferte Domino filij Dei,*
etc. Carm. gen. 5.

Seu diues auro es, siue opibus potens,
 Seu marte parta clarus adorea,
 Agnosce numen gratus, & huc refer
 Quæcunq; lætum ducis ad exitum.

Huic pange laudes, & prece supplice
 Rerum parentem concilia: & Dei
 Nutu regentis stelliferam domum
 Dignare iustis nomen honoribus.

Cuius liquentes uox grauida pluit
 De nuberores, terrificos ciēt
 Cælo tumultus cum tonitru, maris
 Turbata uentis concitat æquora:

Vox dignitatis plena, nec irritæ
 Vnquam ad patrandum iussa potentia,
 Nudare Cedris seu Libanum iuuat,
 Celsasq; uentis sternere Fraxinos:

Seu uincta saxis saxa reuellere,
 Notisq; montes sedibus erutos
 Versare, taurum uo uerna per auia
 Vexat iuuentæ læta proteruitas.

Ad uocis ictum nubibus exilit
 Elisus ignis, tesqua Arabum tremunt:
 Feræ pauescunt: ante diem fluunt
 Partus acerbi: robora concidunt.

Quæcunq; templo cælum habet aureo,
 Quæcunq; tellus Dædala sustinet,
 Quæ celat undis æquor in abditis,

D

Dei fatentur cuncta potentiam.
 A uoce uindex Pontus inhorruit,
 Vndisq; montes obruit, arbiter
 Aeternæ rerum, quum libuit tibi
 Delere gentes fluctibus impias.
 Te dante uires, non opibus feros
 Horremus hostes, non numero graues
 Te dante pacem, progeniem Isaci
 Cornu beabit diuite copia.

PSAL. XXX. Exaltabo te Domine, &c.
 Carm. gen. 6.

TE nostra semper carmina, te lyra
 Sonabit, orbis arbiter optime:
 De faucibus lethi imminentis
 Incolumis tibi uota reddam.
 Per te superbus nec lacrymis meis
 Insultat hostis, nec fruitur malis:
 Terebus, incertus salutis,
 Auxilium in dubijs poposci.
 Per te receptis uiribus haurio
 Vitalis auræ lumen amabile:
 Nec inferûm sub nocte longa
 Et tenebrisiaceo sepulchri.
 O turba puris dedita ritibus
 Sacrisq; castis, tollite laudibus
 Placabilem uotis parentem,
 Et memori celebrate plectro.
 Vanescit iræ uindictis impetus
 Bullæ fugacis more: Dei fauor
 Bonis manu uitam benigna